

CYPRIANVS LEOVITIVS MATHEMATICVS.



Cyprianus ille ex honesta familia Leouiciorū
in Bohemia natus fuit. Is cum fœlici ingenio
esset præditus, à pueris statim operam literis dedit,
& prima rudimenta facile percepit. Inde se ad ua-
rias academias, præsertim Ingolstadiensem, confe-
rens, in primis Mathematicis disciplinis incubuit,
atq; in ihs summam eruditionem acquisiuit. Itaque
poltea magnum opus cōscribere incipiens, Ephe-
merides multorum annorum composuit, atq; eas
ab anno 1556 ad annum 1606 mirabili industria con-
tinuauit. Id cum Ferdinandus Cæsar intellexisset,
eum in suam familiam recepit, atq; multis honori-
bus auctum plurimum dilexit. parem fauore quo-
que Maximilianus eius filius Cypriano exhibuit, atque multis beneficijs af-
fecit. Hocq; modo factum ut is regum & principum gratiam, atque apud o-
mnes doctos sibi immortale nomen comparari, id quod ex opere eius facile
potest intelligi. Anon.